

## ACTA TRIBUNALIIUM

### SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

#### Sectio Altera

#### DECISIO

[DIMISSIO RELIGIOSORUM OB OBOEDIENTIAE RECUSATIONEM]

[*Omissis*]

Recursu ad disceptationem admissio in Congressu diei 14 iunii 1980, die 23 eiusdem mensis concordatum est dubium sueta formula: « An constet de illegitimitate vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 22 iunii 1979 ».

Est nunc concordato dubio respondendum.

#### IN IURE ET IN FACTO

Exhibetur in praesenti casus typicus cuiusdam sentiendi rationis quae post Concilium celebratum penes non paucos religiosos et religiosas invaluit, incitantibus quoque quibusdam decretorum conciliarium haud genuinis commentatoribus, et acquiescentibus vel saltem non vigilantibus aliquibus Superioribus. Haec quidem sentiendi ratio respicit oboedientiam, praesertim religiosam, quae quidem non urget nisi antea dialogus inter Superiorem et subditum adfuerit, vel, quod peius est, subditus de bonis mandandi rationibus fuerit convictus.

Res ascetice potest considerari et iuridice. Asceticam nunc relinquimus, quamvis hac quoque vitam religiosam imbui necesse sit. Adspectum iuridicum consideremus.

Quando oboedientia vel per nuncupatum votum religiosum vel per legem exigitur, ea praestanda est semper, dummodo Superior iura divina et naturalia non offendat et intra fines suae potestatis agat.

Rationes iubendi non vinculant quidem intellectum subditi, cui tamen nefas est easdem suo iudicio subicere ut decernat ipse

quid reapse sit agendum. Quod si admitteretur, individualismus subditi triumpharet nec quaequam societas existere posset. Esto quod, uti Concilium Vaticanum II suadet, dialogus inter superiores et subditos tamquam inter patrem et filium, non inter aequales, fovendus est: est quoque prudentis superioris audire subditum, si quae gravis difficultas mandato opponatur: subditus autem sua ex parte potest superiori animum suum patefacere forsitan anxium ob mandatum receptum. Sed haec omnia pertinent ad pedagogiam iubendi et oboediendi: ad ipsam oboedientiam non spectant praesertim in eo qui per professionem religiosam totam suam voluntatem, iuxta Ecclesiae leges, legitimis superioribus legitime mandantibus commisit. Ait enim Concilium: « Religiosi per professionem oboedientiae plenam propriae voluntatis dedicationem veluti sacrificium sui Deo offerunt, et per illud constantius et securius divinae voluntati salvificae uniuntur » (*Perfectae Caritatis*, 14).

Cum autem oboedientia tanti momenti sit in vita religiosa ut, sine illa, perfecta caritas, ad quam religiosi tendere debent ad testimonium reddendum humiliationis atque oboedientiae Christi, vix concipi possit, evidens est eiusdem oboedientiae defectum continuatum et gravem merito inter causas graves recenseri, propter quas dimissio e religione, servatis de iure servandis, decerni possit. In hoc demum illa « conscia et responsabilis oboedientia », de quo loquitur Concilium, consistit ut subditus, remota quavis coactione, mandatis sui legitimi superioris voluntarie pareat, itaque ad emolumentum spirituale sui Instituti et ad aedificationem Ecclesiae contribuat, aiente quidem Concilio: « Sodales ergo in spiritu fidei et amoris erga Dei voluntatem Superioribus suis ad normam regulae et constitutionum humile praestent obsequium, vires intelligentiae et voluntatis necnon naturae et gratiae dona in praeceptorum executione et in expletione munerum sibi commissorum conferendo, scientes se ad aedificationem Corporis Christi secundum Dei propositum operam praestare. Sic oboedientia religiosa, nedum dignitatem personae humanae minuit, illam, ampliata libertate filiorum Dei, ad maturitatem adducit » (*Perfectae Caritatis*, 14).

Transeundo nunc ad rem nostram, indubium est ex actis quin Soror N. N. suis Superioribus legitime mandantibus, adhibitis quoque canonicis monitionibus, ut munus docendi in schola statali relinqueret, parere numquam voluerit, etsi aliquan-

do verbis tantum suum propositum parendi pandit.

Qua in re, tota in suo lubitu fuit. Licet enim diploma ad docendum de permissu suorum Superiorum consequuta sit, concursus tamen ad docendum in schola statali, contra voluntatem Superiorum subiit, et contra eandem voluntatem magisterium in schola statali suscepit. Obtinuit quidem aliquando permissionem ab Antistita ut munus suum continuaret, sed conditionate: haec tamen permissio postea cessavit et nihilominus Soror N. in munere docendi perseveravit.

Legimus in actis recurrentem fuisse religiosam, optimis ad suum exercendum docendi munus ditatam qualitatibus, adeo ut sine illa, schola vix subsistere posset: ideo multiplicatae sunt petitiones ut Soror in schola tanquam magistra maneret. Ipse Episcopus D. sua officia in hunc sensum interposuit. Exinde recurrens animosior facta est. Ab aliquibus haec describitur etiam bona religiosa, pia. Sed quamvis in actis exstant argumenta quae ad aestimandum sensu parumper diverso indolem et vitam Sororis N. inclinent, haec omnia meritum respiciunt, neque nostrum est de iisdem iudicare. Spectat enim ad legitimos Superiores decernere quid melius, quid aptius Congregationi religiosae provehendae et ipsis religiosis efformandis in spiritu evangelicorum consiliorum conveniat. Adnotare tamen volumus quod, si una ex parte recurrens se in suo proposito pervicacem se ostendit, Antistitae sive Generalis, quae degit in civitate B., sive Delegata pro provincia italica, patientiae multae praebuerunt documenta, adeo ut aliquando voluntati Sororis N. licet conditionate cesserint. Toto hoc tempore recurrens potuit multifariam suas rationes exhibere. Idque maxime potuit cum, comminata quidem dimissione ab Instituto nisi paruisset, canonicè admonita fuit.

Profecto prima monitio canonica facta est d. 8 novembris 1978. Soror N. non oboedit praecepto. Secunda monitio facta est die 2 decembris 1978. Sed incassum.

Utraque monitio facta est ab Antistita Generali Delegata in Italia, sed formali habita delegatione ab Antistita Generali.

Transacto mense, die 4 ianuarii 1979 Antistita Generalis, praehabito consensu sui Consilii communicavit S. Congregationi pro Religiosis et Institutis Saecularibus deliberationem Sororis N.N. ab Instituto dimittendae et imploravit approbationem Dicasterii.

Die 14 februarii 1979 Antistita Generalis communicavit Sorori N. dimissionem eamque invitavit ad exponendas suas explanationes et iustificationes. Subsequuntur duo colloquia inter recurrentem et Antistitam Generalem Delegatam ad discutiendam decisionem latam.

Demum S. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus emanavit decretum dimissionis die 22 iunii 1979, cum dispensatione a votis, ut de more: quod decretum die 8 iulii 1979 a Sorore N. receptum est.

Haec omnia animadvertenti liquido patet non solum omnia in procedendo rite facta fuisse, sed nunquam Sorori N. copiam defuisse suas rationes, explanationes, iustificationes exponendi.

Obici potest monitiones factas fuisse ab Antistita Delegata cum suo Consilio et non ab Antistita Generali cum suo Consilio. Sed notandum est Antistitam Delegatam egisse de speciali mandato Antistitae Generalis, quae totam rem tandem aliquando moderata est quacum etiam directe Soror N. communicare poterat et reapse communicavit. Proinde mirum est quod talis obiectio nunc solum opponatur.

Neque excusationis causa potest adduci quod Soror N, uti diximus, multi a suis Superioribus scholasticis extimata fuerit et ab ipso Episcopo D. commendata: nam noverat bene recurrentem se votum oboedientiae in manibus suorum Superiorum religiosorum praestitisse et non aliorum: Superioribus religiosis itaque oboedire tenebatur.

Quibus omnibus, tum in iure tum in facto mature perpensis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium, pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, circa propositum recursum respondendum censuit uti respondet:

*« Negative seu non constat de illegitimitate neque in procedendo neque in decernendo relate ad actum S. Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 22 iunii 1979 ».*

[...]

#### NOTIFICETUR

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 14 decembris 1981.

SCRIS, Prot. n. 25180/78. - SIGN. APOST., Prot. 11.439/79 C.A.